BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMAN.
68
13 C
42

1536

ANTONII FLOREBELLI MVTINENSIS AD CAROLVM .V. ROMANORVM IMP. PANAEGYRICVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5. 20. F. 10.

ANTONII FLOREBELLI MVTI-nenſis ad Carolum . V . Romanorum Imp. Panegyricus.

SAepe ego ueterum Romanorum mores & inſtituta mecum diligentius conſiderans Inuictissime Imperator Cæſar, cum aliis in rebus eorum ſoleo ſapientiam admirari, tum illud præcipue recte, & ſapienter ab eis fuiſſe inſtitutum, atq; obſeruatum iudico, ut eorum duces, atq; imperatores deuictis hoſtibus unà cum uictore exercitu triumpharent. Hinc enim fiebat, ut cum benemeritis de patria ciuibus meritos honores tribuerent, tum alios etiam ad amorem virtutis, & ad benemerendum de rep. incitarent. qui mos tam diu hac in urbe manſit, quam diu imperio domicilium præbuit, & in ea bellicæ laudis, & gloriæ ſtudia uiguerunt. Poſtea uero quam Imperij ſedes à Conſtantino Byzantium translata eſt, cum hæc urbs non iam Imperij, sed religionis caput, ac domicilium eſſet, hæc Ciuitas mille ferè abhinc annis nullum triumphum ſpectauerat. Extitiſti tandem aliquando tu Cæſar, quem unum uere appellare Imperatorem poſt Carolum illum Magnum poſſumus, qui illam antiquam triumphandi con

ſuetudinem reuocares, quiq́, quod maxime proprium Impe ratoris munus eſt, ad tuendam religionem, & debellandos hoſtes ſedatis prius inteſtinis reip. malis omnem animi curam, ſollicitudineḿq; conferres, ut minime mirum uideri debeat, si eos ſemper tuarum actionum omnium, & conſiliorum exitus habuiſti, quos tua iſta præſtans erga Deum religio, in Chriſtianam remp. ſtudium promeretur. Vidimus igitur te confecto Africano maximo, & grauissimo bello, ac memorabili de Turcis parta uictoria triumphantem ea pompa, atq; eo ornatu, qui triumphantem decebat Cæſarem, comitatum ducibus tuis, & flore uicteris exercitus, proſequentibus omnium Chriſtianorum principum, ac liberarum Ciuitatum Legationibus. Vidimus occurrentem tibi ampliſsimum Senatum, effuſam ſtudio uidendi tui infinitam hominum multitudinem, gratulantem tibi hunc optimum, ſapientiſsimuḿq; Pontificem. Nec perſpexiſti tu modo omnium erga te hominum ſtudia, lætitias, gratulationes, ſed ipſi me dius fidius huius vrbis colles, ut mihi uidebatur, gratulari tibi de victoria, & aduentu tuo geſtiebant. Tandem enim Chriſtiana reſp. tua incredibili uirtute, & admirabili ſapientia, eis quæ tam diu perpeſſa eſt malis, calamitatibuſq; defuncta eſt. diſcuſſa tandem eſt ſuperiorum caligo temporum, adeoq; crudeliſsimorum hoſtium religionis noſtræ minas, atq; arma deſiimus timere, ut etiam certam

in ſpem uenerimus fore propediem, ut reſp. in antiquum honoris, & dignitatis gradum reponatur. reſpexit enim Deus populum ſuum, ac iam ſatis graues peccatorum pœnas ab eo fuiſſe ſtatuit perſolutas, qui te chriſtianæ reip. præpoſuerit, ut unà cum hoc integerrimo, præſtantiſſimoq; Pontifice illam ex ſummis ereptam periculis ſeruares, & impiorum hoſtium furorem, audaciamq; contunderes. Ac tu compoſito Italiæ ſtatu, & bis iam fugatis, ac ſuperatis Turcis non ſolum nobis aduerſarum rerum finem attuliſti, ſed initium etiam ſecundarum. Quamobrem iure, ac merito aduentus tuus ſummis honoribus, & incredibili omnium generum, ætatum, ordinum gratulatione, plauſu, lætitiaq; exceptus eſt. eius enim unius diei, quo triumphans vrbem ingreſſus es, lætitia, omnis medius fidius illa ſuperiorum annorum triſtitia compenſata eſt. Sed illi quidem, quos tibi Paulus Pont. Max. & populus Romanus honores habuit, & ſi eximii fuerunt, atq; præclari, tamen tuis in rempub. meritis nequaquam pares fuiſſe fatendum eſt. nam illi quidem certe uſitati fuerunt, tua uero merita ex nouo, & inuſitato quodam ſunt genere. Neque hæc culpa illorum eſt, quòd te paribus præmiis minime remunerati ſint, potiusq; tua ſumma laus eſt, quòd eis remp. beneficiis affeceris, pro quibus accipere par nihil poſſes. Nam ut de reliquis tuis diuinis in eam meritis ſileam, quæ quidem nulla unquam

delebit obliuio, nulla longinquitas temporis obſcurabit, iſtis recentibus quodnam obſecro poteſt non dicam præmium, ſed genus par orationis inueniri? Etenim Rex Tur*carum non contentus Aſia, & magna parte* Europæ, *propter inexpiabile in* Chriſtianos *odium, & incredibilem quandam* Imperij *ſitim ardebat cupiditate reip. noſtræ euertendæ funditus, atq; delendæ. cumq; nondum uidelicet cognouiſſet, quo cum hoſte ſibi res, ac certamen futurum eſſet, ſperabat ſe, quod ſuperioribus acciderat temporibus, poſſe per inertiam, & ſocordiam noſtram reliquas* Europæ *prouincias ad regnum, & ditionem ſuam adiungere.* Itaq; *cum infinito peditatu, equitatuq; quaſi calamitoſa quædam tempeſtas ſuperioribus annis in* Pannoniam *penetrarat,* V*iennamq; obſederat maximam, & clariſsimam urbem, ſperans eis refractis tanquam* Germaniæ *clauſtris ſe penitus in reip. uiſcera irrupturum. quo quidem tempore (ignoſce nobis* Cæſar) *non poteramus interdum non uehementius commoueri. non quo uirtuti, aut felicitati diffideremus tuæ, ſed hoſtium incredibilis multitudo timorem nobis, ac ſollicitudinem afferebat. Sed ne illi nobis diutius inſultarent, tua uirtute, ac celeritate perfectum eſt.* Nam *cum intelligeres, quanto in diſcrimine ſalus omnium* Chriſtianorum *uerſaretur, ſuperatis incredibili celeritate alpibus in* Pannoniam *cum tuo fortiſsimo, atq; inuictiſsimo exercitu aduolaſti, poſitisq; penè in con-*

ſpectu hoſtium caſtris, & facta pugnandi copia adeo inſolentem illam, & immanem exterruiſti belluam, ut qui iam Europæ totius Imperio potiturum ſe speraucrat, ſuis rebus diffidens, ac de ſalute deſperans non modo prælium detrectarit, ſed etiam magna parte ſuorum amiſſa turpiſſime in intimum regnum ſuum aufugerit. Quam obrem tuo tum ſtatim aduentu Viennam obſidione, populos Chriſtianos cæde, uinculis, & cruciatibus, remp. maximi, & calamitoſiſſimi belli metu liberaſti. Hac ille tam inſigni clade, atq; ignominia mirum quantum animo fractus, ac debilitatus eſſet. Sed tamen cum ſe uix tandem ex fuga, & pauore collegiſſet, ira, & ignominiæ dolore uehementer exarſerat. itaq; quando ea non ſucceſſerat, ſtatuerat alia uia remp. adoriri, cumq; intelligeret Africæ oram maritimam eſſe imprimis opportunam ad oppugnandam remp. ſi ea potitus eſſet, illinc Epiro, hinc Africa uſurum ſe pro uallo & aggeribus ad obſidendam Italiam deſtinarat. Quare Arriadenum hominem impigrum, eundemq; Chriſtiani nominis hoſtem infeſtiſsimum maximæ, & ornatiſsimæ claſsi præfecerat, & traijcere in Africam iuſſerat. Hic ego ſine magno animi dolore commemorare non poſſum, quas tum Arriadenus Chriſtiano nomini labes inuſſerit, quantum huic Ciuitati, ac toti Italiæ terrorem iniecerit, quantum deniq; remp. in diſcrimen adduxerit. qui non prius in

Africam nauigarit, quàm Calabriæ ora late maritima depopulata, & compluribus incenſis atq; inflammatis oppidis multos inde mortales in ſeruitutem abduxiſſet. Neque eo contentus fuit, ſed propius vrbem acceſſit, Fundoſq;, & Terracinam, & alia quædam oppida improuiſo aduentu cepit, atq; diripuit. Cum hinc (ò tetrum, & luctuoſum ſpectaculum) propè hoſtilis claſſis, nobilium oppidorum direptio, Terracinenſis & Fundani populi calamitates, tectorum incendia cernerentur. Nec uero tanto, & tam repentino periculo perculſa hæc ciuitas, atq; attonita diſpiciebat quid agere, quid conſilii capere, quam uiam inſiſtere tutandæ ſalutis, & depellendi periculi oporteret. ſed fugam ſpectans, & ad preces, ac uota conuerſa deum ſupplex orabat, ut à populo ſuo crudelitatem hoſtium, à ſanctiſſimis templis impias, & funeſtas faces, ab urbe domicilio religionis uaſtitatem, ab uniuerſa rep. peſtem, exitiumq; depelleret. Tandem hoſtes cum per omnem oram hanc maritimam ſine ullo metu ad arbitrium ſuum eſſent peruagati, & miſerorum oppidorum ſpoliis, captiuiſq; omnia nauigia compleſſent, læti, atq; alacres abierunt; ita ut oculos tamen crebrò ad hæc littora retorquerent, ægre uidelicet ferentes, quòd hæc vrbs eorum crudelitatem, ac ſæuitiam effugiſſet. Cum uero Arriadenus ad Africam appuliſſet, Tunetum vrbem maximam, acceius regni caput expulſo inde rege, dolo

atq;

a'q; inſidiis ceperat. ex quibus rebus tantos ſibi ſpiritus ſumpſerat, ut breui ſe uniuerſam Italiam bellorum fluctibus obruturum eſſe confideret. Verum has tu Cæſar impendentes tantorum bellorum tempeſtates, atq; procellas uirtute, conſilio, ui, copiis celeriter repuliſti. Nam & ſi uidebas, quàm graue, & periculoſum bellum ſuſciperes, tamen quod proprium fuit ſummæ, atq; eximiæ cuiuſdam fortitudinis hoc eſt tuæ, tuam ſalutem communi ſalute poſteriorem ducens omnibus caput tuum obiicere periculis, quàm reip. deeſſe ſummo ac difficillimo illius tempore maluiſti. Itaq; cum paraſſes ſumma celeritate magnam claſſem, & fortiſſimum exercitum conſcripſiſſes, Barchinone conſcendens grauiſſimo anni tempore, cum omni claſſe in Sardiniam traiecisti, inde continuò in Africam, ut hoſtes prius bellum geri ſenſerint, quàm audierint parari. Cum autem ſupplex ad te in caſtra ueniſſet is, qui rex Tunetinorum fuerat, opemq; & auxilium tuum implorasset, et tu, quanquàm à religione noſtra abhorrens eſſet, tamen illius fortunam miſeratus fidem, & dexteram porrexiſti, planeq; oſtendiſti bellum id à te non propter auaritiam, ac dominandi cupiditatem, ſed ob ſtudium ac defenſionem reip. quæ in ſummum diſcrimen uenerat, ſuſceptum fuiſſe. Maxime uero Arriadenum aduentu tuo perculſum eſſe conſtabat, quippe qui te ipſum eò minime traiecturum eſſe ſperaſſet. Sed is tamen omni ſeſe bellico inſtruxerat

apparatu, ingentes equitum, & peditum manus ex finitimis regionibus conduxerat, Tunctum, & caſtellum, quod in faucibus portus tunetini ſitum eſt, quam Golettam uocant, firmiſſimis propugnaculis & magna ui æneorum tormentorum muniuerat. At tu paucis poſt diebus, quàm in Africam ueneras, primum caſtellum illud terra mariq́; adortus, ualido reſiſtente Turcarum præſidio, tuis acerrime dimicantibus expugnaſti. biduo poſt cum inſtructas legiones ad Tunetum oppugnandum adduceres, Arriadenus magnitudine copiarum ſuarum fidens tibi obuiam exiit. tum uero gauiſus factam tibi pugnandi poteſtatem, omnia non modo boni imperatoris, ſed etiam ſtrenui militis officia, & munera præſtitiſti. nam & milites oratione ac uocibus ad prælium incitabas, & ipſe quà confertiſſimi hoſtes erant, fortiſſime dimicabas. Sed cum acriter aliquandiu pugnatum eſſet, & multa iam hoſtium millia cecidiſſent, ſuſtinere diutius ardorem, atq; impetum tuorum illi minime potuerunt, ortoq́; ab equitibus fugæ initio celeriter pedeſtres etiam copiæ uerſæ in fugam ſunt. Dux autem hoſtium, qui Tunctum refugerat, cum te ad murum accedere cum uictore exercitu cognouiſſet, non auſus eſt, neq; urbem defendere, neq; in arcem, quamuis eſſet egregie manu, & natura loci munita, confugere, quippe cum nullo pacto uirtuti tuæ obſiſti poſſe iudicaret. ſed frendens fremensq́; tantum regnum tam cito ſibi ereptum de

manibus fuiſſe, & reliquas omnis euanuiſſe ſpes ſuas, nactus naues quaſdam in littore cum paucis comitibus ex Africa profugit. ò præclarum, & ipſis etiam undis ac littoribus iucundum ſpectaculum, cernere immaniſſimum illum hoſtium ducem, qui pauloante tantis in Africam claſſibus nauigarat, ac iam Italiæ imminebat, cunctis nauibus amiſſis, deleto exercitu, erepto, quod occupauerat, regno, trepide fugientem. Quare diſperſis, ac diſſipatis per finitimas regiones hoſtibus Tunetum, & arcem pulſo iã inde præſidio recepiſti, regnóq; ei, cui ademptũ fuerat reſtituto, atq; icto cũ eo fœdere ita ex Africa deceſſiſti, ut hoſtes quidem uirtutem tuam, ſocii uero atq; amici fidem, moderationẽ animi, manſuetudinemq; cognouerint. Nunc demum ſentio, quàm graue onus ſuſtulerim Cæſar de tuis rebus geſtis dicendi, & commemorandi. quod enim tantum flumen orationis, quæ tanta dicendi copia, quod tam excellens & inauditum ingenium poteſt exiſtere, quo quiſquam tantas res geſtas, tam illuſtrem memorabilemq; uictoriam ſatis digne non dicam exornare, ſed enarrare poſſit? Quibus porrò honoribus, quibus præmiis, quibus ornamentis tua in nos merita remunerari poterimus, cum ne dicendo quidem illorum magnitudinem conſequi ualeamus? Etenim huic urbi, ac toti Italiæ exitium impendebat auctis hoſtium animis, opibúſq; nouarum acceſſione prouinciarum, & capta ab eis opportuniſſi-

ma regione ad inferendas Italiæ calamitates. Nam ſi ſuperioribus annis Mauri paucis myoparonibus omnem ferè oram maritimam Italiæ depopulari ſoliti erant, adeo ut ſæpe ad oſtia uſq; tyberina adnauigarent, urbemq; hanc intercipiendis omnis generis commeatibus propè obſiderent, quid futurum erat, ſi Arriadeno illo claſſis Turcarum præfecto in Italiam belli furor, atq; impetus peruaſiſſet? quis hoſte illo aut crudelitate immanior, aut auaritia rapacior, aut ſuperbia intolerabilior, aut omnibus flagitiis, & ſceleribus inquinatior dici aut cogitari poteſt? Ecquis unquam tam acriter, tam acerbe cum inimico depugnauit, ut ille iampridem chriſtianum nomen uniuerſum inſequitur? Ergo ea peſte ex Africa Cæſar eiecta à nobis crudeliſſimas cædes, inauditos cruciatus, exquiſita ſupplicia, teterrimam ſeruitutem, à coniugibus & liberis nefandas libidines, ab Italia, atq; adeo ab uniuerſa rep. incredibiles calamitates, uel potius occaſum, atq; interitum depuliſti. Quamobrem tibi uitam, tibi libertatem, tibi coniugum, ac liberorum pudicitiã, tibi patriam, tibi fortunas, tibi remp. tibi hæc inquam omnia grato animo acceptum referimus. Iam abductus fuerat in ſeruitutem maximus chriſtianorum numerus. tu ad. xx. millia eorum uno die è carcere, & uinculis emiſiſti. itaq; quæ ipſi per te retinuimus, illi cuncta diuino, atq; immortali tuo beneficio receperunt. nos tamen hoc tibi obligatiores ſumus, quòd quæ illi

amiſſa recuperarunt, ea cum nobis propter tuam uictoriam ſalua incolumniaq́ permanſerint, minime nos, ut illi, hoſtium ſuperbiam, crudelitatemq́ ſubimus. Iam vero quibus uerbis tuam illam nouam, atq; inuſitatam liberalitatem, ac magnitudinem animi collaudare poſſim? qui expulſum regno alienum, atq; abhorrentem à religione chriſtiana regem, confecto bello, ac deuictis Turcis in regno ſuo collocaris, & fidei, ac clementiæ laude contentus, illi fructum victoriæ, & præmium laborum, ac periculorum tuorum conceſſeris. an non tu hoſtes non vi & armis modo, ſed quod multo eſt magnificentius, etiam animi altitudine ſuperaſti? illi enim quod ſuum non erat, per ſummam iniuriam dolo, ac fraudibus occuparant. tu quod iure victoriæ tibi ceſſerat, remiſiſti. factũ iſtud idem olim fuiſſe à Pompeio Magno memoriæ proditum eſt, ut regem Armeniæ Tigranem ſeſe, ac regnum ſuum illi dedentem regnare permitteret. uerum multo admirabilior tua Cæſar liberalitas fuit. ille enim non à ſe partum, ſed ſibi oblatum regnum accipere non ſuſtinuit, & tamen regem non grandi modo pecunia, ſed regni etiam parte mulctatus eſt. tu maximum, atq; opulentum imprimis regnum, quod retinere bona fide poteras, quippe quod non regi abs te ademtum, ſed iniuſtis poſſeſſoribus ſudore, periculis, & ſumtibus tuis extortum fuerat, nulla accepta pecunia, & ſine ulla diminutione condonaſti. quæ noua atq; inuſitata libera

litas cum maximam benignitatis, tum non minorem tibi prudentiæ laudem attulit. rege enim clariſſimo in amicitiam abs te, & ſocietatem recepto utrunq; es aſſecutus, ut & munitior poſthac ad defendendam remp. ſis futurus, & omnes, quæ Turcis ſeruiunt nationes in admirationem tuæ iuſtitiæ, liberalitatis, fidei, clementiæq; conuerteris. ex quo nimirum intelligent, quanto meliore conditione ſub tuo mitiſſimo iuſtiſſimoq; imperio, quàm ſub eorũ ſuperbiſſima, & iniuſtiſſima dominatione uiuatur. Porrò autem hinc Mauri, inde Turcæ omnia infeſta habebant Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Hiſpaniæ littora, maximo reip. totius incommodo, quippe cum iam noſtris hominibus nuſquam tutò nauigare negociandi gratia liceret. Quis enim locus per hoſce annos tam abditus, aut tam munitus fuit, quò non illi ſæpius penetrarint, prædas auexerint, homines in ſeruitutem abduxerint, omnia ferro, flammaq; uaſtarint? Tu & ingentem illam hoſtium claſſem potitus es, quæ tam diu noſtros portus, & littora diuexarat, & depulſis mari prædonibus non ſolum nobis quietem, ſed ipſis etiam undis tranquillitatem peperiſti. Atq; hoc bellum tam graue, tam atrox, tam formidoloſum non tu per legatos, ſed tuo ipſius ductu, auſpiciisq; geſſiſti, ac ſine ullo penè detrimento tui exercitus plus minus quadraginta dierum ſpacio confeciſti. Eant igitur ſiqui ueterum imperatorum res geſtas ita mirantur, ut eas nullo pacto æquari

poſſe contendant. Nimirum res tuæ geſtæ Cæſar ſiue aduerſariorum potentiam, ſiue diuerſitatem regionum, ſiue multitudinem bellorum, ſiue conficiendi celeritatem, ſiue numerum uictoriarum ſpectent, cum quolibet antiquorum iure optimo comparari poſſunt. Atq; ut reliquas tuas uictorias ſilentio prætercam. Omnibus omnium gentium, ac nationum ducibus romani duces ſine dubio rei militaris gloria præſtiterunt. porrò ex eis Scipionum præcipue nomen in laude, ac celebritate uerſatur. quorum alter Carthaginem iam diu cum populo romano, duce Annibale belligerantem uicit, alter eam ipſam urbem funditus ſuſtulit. Quis rebus eorum geſtis non tuam iſtam recentem uictoriam Cæſar iure prætulerit? illi vrbem & bello primo punico afflictam, & eo, quod poſtea cum mercenariis militibus geſſerat, exhauſtam domuerunt. princeps tu omnium romanorum imperatorum Turcas opibus, atq; armis florentiſſimos deuiciſti. illi bellum iam ante ab aliis ducibus affectum, & profligatum ipſi vix aliquot annis confecerunt. tu ex bello à te ipſo illato paucis non dicam annis, nec menſibus, ſed paucis inquam diebus inſignem, & memorandam victoriam rettuliſti. illi pro huius unius urbis gloria, imperioq; certabant. tu pro omnium chriſtianorum ſalute, ac libertate, atq; etiam pro Dei ipſius religione pugnaſti. poſtremo Carthaginienſium imperium Africa, & pars Hiſpaniæ terminabat. Turcarum regno cum

tota Aſia, Aegyptus, & Syria, tum etiam magna pars Europæ ſubiecta eſt. Quamobrem quis negabit cognomen africani tanto tibi iuſtius, quàm Scipionibus deberi, quanto & potentiorem, ac ualidiorem hoſtem, & breuiore temporis ſpacio ſuperaſti? Nec uero indignentur eorum manes te in ſocietatem uenire præclari cognominis, quod tu clariore multo, & illuſtriore victoria comparaſti. Tu vero cognomine iſto contentus eſto. turcici cognomen ad id tempus reſeruato, quo turcicum bellum confeceris. quod vt ſuſcipias, hortatione tu quidem non eges. quis enim neſcit te id ipſum bellum tam inde à pueritia in animo agitauiſſe, nec dies noctesq́, ex quo creatus imperator es, aliud cogitare, quàm quemadmodũ ab hoſtium furore, & crudelitate remp. liberes? In quo egregia tua animi pietas, & ſapientia planè extat, atq; eminet, qui proprie imperatorium munus eſſe ducis, non ocio, luxuq; langueſcere, ſed creditorum à Deo populorum ſaluti, libertatiq; conſulere, & ex eis rebus laudem, & gloriam petere, quæ ſint cum vera erga Deum pietate, ac religione coniunctæ. Sed tamen patere breuiter commemorari à me, quid omnes à te non eſſ lagitent modo, verum etiam expectet. Etenim exiſtimare debes Cæſar poſt tot, tamq́; illuſtres victorias in te omnium oculos chriſtianorum eſſe coniectos. in maximis enim reip. noſtræ calamitatibus te, & hunc Paulum optimum, Sanctiſſimumq; pontificem propè

demiſſos

demiſſos eſſe de cœlo arbitrantur, quo afflictam remp. erigatis, & populos christianos turpiſſimo ſeruitutis iugo oppreſſos in libertatem vindicetis. Noli Cæſar per Deum immortalem noli tantam omnium de te ſpem atq; expectationem fallere. Quouſq; enim patientia noſtra hoſtes abutentur? Quouſq; terrorem nobis inferent, de ſe nihil timebunt? Aſiam, & bonam partem Europæ per inertiam ſuperiorum principum occuparunt. campos & flumina ſæpe chriſtianorum ſanguine, & cædibus infecerunt. religionem noſtram, quæ quondam uniuerſo terrarum orbe viguerat (etenim quæ ora, quæ regio, qui in terris locus tam longinquus, atq; abditus fuerat, ubi non chriſtiana religio coleretur? quæ tam immanis gens, & barbara, quæ non repudiatis dijs illis falſis & commentitijs ueram Ieſu Chriſti Dei filii religionem aſciuiſſet?) noſtram inquam religionem (ò labem, ò dedecus, ò ignominiam chriſtiani nominis) anguſtis Europæ finibus incluſerunt. Nunquamne amiſſas prouincias repetemus? Nunquamne chriſtianorum mortes, & iniurias ultũ ibimus? Nunquam pro aris, pro templis, pro ſacris, pro religione arma capiemus? toties bello uexati, tot contumelijs laceſſiti nunquam expergiſcemur? ſemper hoſtibus prædæ ac ludibrio erimus? Sed enim chriſtianis adhuc Cæſar non animus, non uirtus, ſed dux, & imperator defuit. In te omnia, quæ in eo requiruntur, qui ſit remp. oppreſſam in

antiquã dignitatẽ reſtituturus, ita abunde adſunt, ut dilu dicari nõ poſſit, utrũ ſis virtute præſtantior, an opib. ua dior, an authoritate, & magnitudine rerũ geſtarũ clarior. quæ omnia tibi iccirco à Deo tributa ſunt, vt cũ tibi ampla & glorioſa, tũ eadem ſint reip. ſalutaria. Quamobrẽ tuũ iſtud munus eſt Cæſar, tum ad exiſtimationem, tum ad dignitatem, tum ad gloriam tuam pertinet eos hoſtes, à quibus chriſtiana reſp. per tot ſæcula uexata, & dilace rata eſt, tam pio, quàm neceſſario bello perſequi, eorum imperium ex imperii romani naufragijs auctum excin dere, omnes ſuperiorum temporum maculas delere, à miſe ris chriſtianis ſeruitutem repellere. Neq; ego te hortabor, ut imitere maiores tuos optimos, & amantiſſimos reip. principes. Neq; Caroli illius Magni bella pro ſalute, & dignitate reip. geſta commemorabo. Neq; Gotifredi, & Balduini, neq; Mathiæ fortiſſimi, atq; inuictiſſimi regis Pannoniæ exempla proferam. cùm tu ſuperiores omnes principes adeo rerum geſtarum gloria, & meritorum in remp. magnitudine ſuperaris, ut quem tibi imitandum proponam, clariorem habeam te ipſo neminem. Quare te ipſum imitere oportet, te ſpectes, tecum ipſe certes. Fac tuas res geſtas, & eximia in remp. merita tecum aſſi due recordere, quæ coegeris euaneſcere omnia, & ad ni hilum recidere, niſi in tuenda rep. & bello perſequendis hoſtibus adhibueris æquabilitatem, atq; conſtantiam.

Sed cũ ego te ad inferendũ Turcis bellũ horter, profectò intelligis pro tua ſumma prudẽtia Cæſar, quid faciendũ tibi prius ſit. antequã.n. abs te pia, & ſalutaria ſumantur arma, enitere atq; elabora, ut ab alijs funeſta & pernicioſa ponantur, atq; omnes penitus tollantur moræ, quæ te ab inſequendis hoſtibus poſſint retardare. Præteritæ reip. noſtræ clades ſatis nos iam erudire debuerunt, quantum inſit mali in inteſtinis diſcordiis. quæ non ipſæ modo remp. lacerant, quod miſerum, & luctuoſum eſt, ſed hoſtibus quoq; noſtras ſemper ſeditiones captantibus illius inuadendæ occaſionem præbent. Quid enim cauſæ eſſe putamus, cur cum omni tempore chriſtiani uirtute & bellandi gloria Turcis longe præſtiterint, tamen tot nobiliſſimas prouincias amiſerint? non eas nobis hoſtium uirtus, neq; arma, ſed amentia noſtra, ſed noſtræ ipſorum diſcordiæ eripuerunt. Dolemus amiſſam Aſiam, noſtris diſcordiis amiſſa eſt. Ereptam Græciam, noſtris diſſenſionibus nobis erepta eſt. Imperii caput Conſtantinopolim ab hoſtibus captam, ipſi inteſtinis bellis occupati capiendam illis, & diripiendam tradidimus. Expugnata duo firmiſſima reip. propugnacula Rhodum, & Belgradum, ea uerſis in perniciem noſtram armis expugnari paſſi ſumus. Poſtremò quaſcunq; adhuc calamitates perpeſſa eſt reſp. eas, ſi recte ratiocinabimur, noſtris diſſidijs referemus acceptas. Etenim hoſtes ſimulac chriſtianos principes

bello inter ſe uidebant implicatos, tum gaudio exultabãt, tum demum ſe optatiſſimam nactos occaſionem putabant infirmiſſimam quanq; reip. partem oppugnandi. ex quo eueniebat, ut eam nudatam omni præſidio, & fruſtra implorantem auxilium chriſtianorum principum facilè, ac propè nullo negocio expugnarent. Ita alia uictoria ſemper gradum ſibi ad aliam extruentes uſq; eò imperium ſuum auxerunt, ut niſi hoc tempore ab inteſtinis armis diſcedatur, atq; omnes diſcordiæ, & controuerſiæ pia, & ſalutari pace componantur, periculum ſit, ne iam non, ut ſuperioribus fecerunt temporibus, remp. paulatim carpant, ſed uniuerſam opprimant. Quare per Deum immortalem Cæſar pro tua admirabili, & ſingulari ſapientia ea remedia excogita, quibus, ſublatis inter te, & Gallorum regem diſſenſionum cauſis, eoq; tecum in gratiam reducto remp. miſerrimo, & calamitoſiſſimo bello liberes, ut pace inter uos facta, coniunctis exercitibus hoſtes, qui iam in ſpeculis ſunt, & huius inter uos impendentis belli exitum, uel potius initium expectant, primo quoque tempore adoriamini.

Romæ in ædibus Antonij Bladi. x. Cal. Maij.
M. D. XXXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

BIBLIOTECA NAZ.